

Maison (hantée) à vendre – p. 118

Erat Athenis domus spatiosa et capax sed infamis et pestilens.

**Per silentium noctis sonus ferri, et, si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo,
deinde e proximo reddebatur.**

**Mox apparebat idolon, senex macie et squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo ;
cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque.**

**Inde inhabitantibus tristes diraeque noctes per metum vigilabantur ; morbus et, crescente
formidine, mors vigiliam sequebatur.**

**Nam interdiu quoque, quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inhaerebat,
longiorque causis timoris timor erat.**

Deserta inde et damnata solitudine domus erat, totaque illi monstro relicta.

Proscribebatur tamen, seu quis emere seu quis conducere ignarus tanti mali vellet.

D'après PLINE LE JEUNE, *Lettres*.